

2. Ostenditur quomodo pendulis altitudines item profunditates maris imperscrutabiles commode detegi possint, item porro, in quantum distet tonitru auditum in nubibus a nobis, vel locus ubi tormenta explosa visuntur, hisce etiam longitudines & distantia locorum inveniri possunt, nec non in quantum pulsus arteriarum præternaturalis a naturali distingvatur, cognoscitur.

3. Ratio redditur quare pendula debent esse breviora circa polos quam circa æquatorem.

DEMONSTRATIO XV.

Fluidum omne libram constituit naturalem in qua solidum corpus positum, quod ejusdem ponderis est cum fluido, neque descendit neque ascendit, si autem specie gravius est, descendit, si levius, ascendit.

*Experimenta.*

1. Omne liquidum tubo incurvato immissum exacte servat semper æquilibrium, sive in æquali horizontali linea est positum.

2. Quandounque heterogenea fluida, sive diversæ gravitatis, sicuti argentum vivum & aqua, eidem tubo immittuntur, non eandem quidem servant lineam horizontalem, tamen æqualiter ponderant, adeo, ut talismodi instrumento liquorum specifica gravitas facili negotio indagari possit.

3. Virunculus vitreus aquæ impositus cum ipsa consistit in æquilibrium, neque ascendit neque descendit, qui tamen postea facili labore eo redigi potest, ut pro lubitu vel descendat vel ascendat, aut in medio aquæ hæreat.

4 Instru-